Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2963
Quelle:
Copyright:

Jobanni Chrys. eripiendam, maxime illud, quod in ea *Jobannes* ipsemet nominetur.

DCCCXXIV.

74 Codex membraneus lat. Sec. XVII. Folior. 28. f. charactere luculento ab insigni Calligrapho exaratus, pluribusque picturis linearibus cum frontium, tum marginis decorus continet *Praeparationem ad Missam Pontificalem, Ordinem Missae et Recessum ab Altari*, in usum quondam *Francisci* Principis *a Dietrichstein* Card. Episcopi Olomucensis, Viri Caesaribus acceptissimi ac de utraque Rep. meritissimi, cujus *Insignia* non modo passim per ipsum Codicem, sed in ipsa theca exterius visuntur his verbis adjectis: *Franciscus Cardinalis a Dietrichstain Episcopus Olomucensis Princeps &c.* M. DC. VII. Preces in Canone sic conceptae sunt: *Et pro Papa nostro N. et Imperatore nostro N. et me indigno seruo tuo.*

DCCCXXV.

418 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 275. 4. non una manu, sed per totum eleganter scriptus, rubricisque ornatus *Liturgica* complectitur saltem priore sui parte, olim ad *sanctum Germanum spiren.* tunc Coenobium O. S. B. a *Dagoberto* I. fundatum, pertinentia, quae se hoc ordine excipiunt: I. praemissis *fol.* 1. et 2. Orationibus *ad Vesperum, Matutinalibus, de S. Cruce*, et Affectu Dolentis de Peccatis, qui totus e biblicis sententiis praeclare contextus est, *Incipit Gradale*, id est *Introitus, Gradualia, Offertoria* et *Communiones* per totum annum sive in Dominicis, et Feriis, sive in Festis SS. tam propriis, quam communibus in Missa cantari solitae, notis *Musicis* Textui superimpositis. Initium: *Dominica. IIII. Ante. N. D.* scilicet I. Adventus. *Ad Te Leuaui Animam Meam* &c. Natalis *Jobannis Evang.* duas Missas habet, quarum una *Prior*, altera *Publica* inscribitur. *Prior* illa *Vigiliam* subplet, quae ob *Stephani* Festum pridie celebrari nequit. Praeter Missarum habentur et aliarum Ceremoniarum Cantus, ut: *Ad processionem in Purificatione S. Mariq, in Die Palmarum*, ubi, *Gloria laus et bonor* &c. praenotatur: *Uersus Fortunati* (Venant.) *Episcopi;* idem Titulus imponitur Fer. VI. in Parasceve Hymno: *Crux fidelis inter omnes* &c. et Dom. Paschatis Elegiae: *Salve Festa dies* &c. Finem faciunt: *Antiphonq in Letania Maiore* et Missae *Ad Pluviam postulandam* et *Pro Siccitate Terrq.* De aliis Necessitatibus publicis nihil.

II. *fol.* 47. charactere grandiore absque titulo *Liber Sequentiarum*, qui incipit: *In Natali Domini. De Nocte. in Primo Gallicinio.* E collatione instituta cum Edito T. I. *Thes. Anecd. Cl. Pezii col.* 18. observo in ejus *Cod.* defuisse Seq. nostram primam: *Nato canunt omnia Domino pie agmina*